



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 42. Papa Henricum VII. in Gallos concitaturus dispensat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Papa Henricum VII. in Gallos concitaturus dispensat.

Horum sententiam ipse quoque Adrianus Cornetanus Cardinalis adoptabat, declarans, in Pontificis arbitrio hanc dispensationem sitam esse, eamque Principum nulli lubentius concedendam, quam Angliæ Regi, cujus erga Ecclesiam Romanam obsequia multiplici argumento comprobata essent, præcipue cum nuperrime non solum copias suas, sed semetipsum Alexandro VI. ad arma turcis inferenda obtulisset: in eandem quoque sententiam ceteri Cardinales abiire, cum que summus Pontifex Gallos ex Italia pellere decrevisset, id vero absque Regis Angliæ auxilio perficere haud posset, eum sibi devincturus, hanc dispensationem concessit, quæ progressu temporis tot tumultuum ac controversiarum fomes exstitit: Julius autem hac indulgentia potissimum intentus erat, ut foedus contra Franciæ Regem, cui insensissimus erat, firmaret, minime mente prospiciens, quod hac sua benevolentia, qua in Anglia Sedis Apostolicæ auctoritatem corroborare conabatur, eandem post aliquot annos ibi omnino everfurus esset. Igitur Rex Catholicus filiam suam civili Regis Angliæ

Hist. Eccles. Tom. XXXI. Kk pru-

Sæcl. XVI. prudentiæ litabat, suæque assensu nuptias cum recens nominato Walliæ Principe ratas habebat, eas celebrandi opportunitate Henrici VII. arbitrio penitus relicta (*).

§. XLIII.

(*) *Raynaldus Odoricus, Spondanus, Paggius, Ciacconius, Bzovius, Graveson, Palatius, Natalis Alexander, alique omnes Scriptores Catholici testantur, Julium II. juris humani, quod unum obstabat, vinculum solviffe de Theologorum & Jurisperitorum doctissimorum consilio, nullus vero affirmat, id ex odio Pontificis in Galliarum Regem fuisse factum, ideo hoc absque ullo teste gratis asseritur. ita Lector Catholicus huc temere censere poterit, id eo duntaxat consilio relatum fuisse, ut ad vindicandam Henrici VIII. apostasiam, ac solvendum legitime uxoris suæ repudium quasi præliminaria præmitterentur: Num vero, quæ legitime fieri peterant, atque ex doctissimorum Virorum sententia jure facta sunt, causa discipulorum, quæ occasione inde quæsitæ ex aliorum perversitate processerunt? Num unius testis scilicet Varhami depositio ambigua, inserta, ac tum confutata prævalere debuisset communi ceterorum judicio atque testimonio?*